

R. P. D.

MOLINO

Gnesnen. Spolii.

Veneris 27. Junii 1749.

1 POstquam Jacobus Dzialinski Vexillifer Naclensis, & Catharina Cielecka ejus Conjux obtinuerant potestatem jura sua proponendi adversùs contumacialem Decisionem in Causa editam *sub diem 3. Julii 1747. coram Me*, definientem violentum extitisse Spolium ab eis patratum in audaci occupatione Villæ = *Cantryny* = ab hominum memoria reali possessione detentæ à Ven. Conventu, & Ecclesia S. Joannis extra Gnesnam licet in audientiis 1. *Aprilis*, *&* 26. *Junii superioris anni* suam possessionem pro tueri non omiserint tàm super hoc principali Dubio, quam super aliis contemporaneè tunc propositis super

atten-

attentatis, & super *sequestro*, eorumque exceptionum fundamenta non adeò infirma fuerint, cum in dicta postrema repropositione rescriptum fuerit = *Dilata*, *& coadjuventur probationes* =: Hodiè tamen ad instantiam dicti Conventus, ejusque Præpositi Actoris, repropofito Dubio = *An sit standum*, *vel recedendum à Decisis* = Reis conventis sæpè monitis, & eorum exceptiones ex novis etiam Juribus per Conventum cumulatis penitùs elisas silentio suo comprobantibus in eorum contumaciam favore Conventus edita est resolutio = *In Decisis*.

2 Iterùm enim constare visum fuerit de necessariis hujus Judicii extremis, primum nempe in genere de antiquissima possessione hujus Villæ Cantryny penès Ecclesiam S. Joannis, ejusque Conventum, satis comprobata tùm ex pluribus Testibus in Causam scientiæ, vel factum proprium, vel actus possessorios referentes, tum ex Ecclesiæ Codicibus, ac non obscurè indigitata ab ipsis Testibus per Occupatores allatis: necnon in specie de possessione singulorum Prædiorum ejusdem Villæ sub Judicio cadentium, desumpta ab accurata finium descriptione expleta ante controversum Spolium, & à Testibus examini subjectis, quibus apparuit pacifica, & non interrupta præcedenti possessione omnium Agrorum latepatentium intra ambitum relatorum finium sese protendentium ab oriente ad occidentem solem à Villa Zdzieckovva usque ad magnum lutum *Porovisćko* versus Villas Dembnica, & Pempice, & à meridie ad septentriones à Villis Obora, & Oborcka Monialium S. Claræ,& respectivè Capituli Gnesnen. usque ad lutum *Batovieck*, quo loci incipiunt Bona ipsorum occupatorum.

3 De eorum autem præsenti detentione per Conjuges Dominicum, & Catharinam præeunte violenta occupatione, ac audaci invasione, constitit pariter ex Testibus referentibus Animalium, & Colonorum expulsionem, Foveorum fraudolentam effossionem, limitum dejectionem, & vocabulorum confusionem. Hisce concurrentibus, sicuti per antecedens comprobata remanet pertinentia, ac primæva possessio hujus Villæ, ac Prædiorum apud Ecclesiam S. Joannis, ad *Text. in Cap. Litteris de restitut. spoliat.*, *& Cap. Cum super*, *de caus. possess.*, *& propriet.*, *Rota in Romana Spolii* 26. *Junii* 1722. §. *Excipi coram Cerro*, *& præceden. Decis.*, quæ confirmatur, §. *Et sanè coram Me*; ità per consequens in aperto est Spolium vi, ac violentia patratum super Bonis Ecclesiæ, quod supremo Judicis officio purgandum est juxta modum præscriptum *in dicta mea Decisione* §. *In hisce*, alias per Rotam amplexum *coram Emerix Jun. decis.*517., *& decis.*766. *num.*1., *decis.*77. *num.*1. *coram Falconerio tit. de Miscell.*, *& coram Emo Tanario decis.*58. *num.*2.

4 Neque hujusmodi Jus contra violentum, & audacem Occupatorem proferendum mutare potuerunt *vel* exceptiones in antea-

cta

ctì Causæ propositione allatæ contra Testes per Conventum adductos, ex quo non sint examinati formiter citata parte, sint Coloni Ecclesiæ, & Incolæ alterius Villæ Ecclesiæ subjectæ, *vel* attestationes in contrarium datas, potissimùm super Concordia inita inter Occupatores, & Præpositum Ecclesiæ S. Joannis, *vel* limitum descriptio Bonorum Mappa, quibus possessio Dominici, & Catharinæ inter propriorum Bonorum fines coercita proferebatur, *vel* tandem declaratio Casimiri Unroblterinski super Immissione data in Fundum Cantryny alteri Ecclesiæ, ac Præposito S. Spiritus.

5 Quandoquidem, quod attinet ad Testes per Actorem productos, eorum depositio nequaquàm labefactatur ex omissa eorum repetitione citata parte, nec ex eorum præsumpta affectione erga Ecclesiam: dùm attento eorum numero, & depositione sub Interrogatoriis emissa, juramento munita, & cum expressa relatione ad actus possessorios jugiter gestos plusquàm idonei censentur in hoc Judicio, in quo agitur de probatione Facti, quæ ab exteris de facili non potest haberi; *Cap. Veniens il 2. ubi Felin. num.3. de Test.*, *Rota decis.250. num.3. par.4. tom.1. Recent.*, *in Romana*, *seu Nullius super Manutentione 7. Maji 1703. coram Scotto impress. post de Vecch. ad Mat. bon. Regim. decis.81. num.4.*, potissimum dum cum illis concordes sunt alii exteri Testes, ipsique in contrarium adducti, qui insimùl plenam constituunt probationem; ad tradita per *Rotam decis.214. à num.16. par.16. Recent.*, *coram Ludovis. decis.140. à num.6.*, *coram Ansaldo decis.573. numer.4. tom.5.*, *& in Viterbien. Pascuorum 15. Martii 1700. §. Non obstante coram Muto*.

6 Testes verò per Spoliatores allati erant omninò spernendi, tanquam per simplices fides absque Juramento, ac pendente Lite ad partis suggestionem confusè deponentes; ad *Text. in Cap. Nuper*, *& Cap. Tuis quæstionibus de Testibus*, *Rota decis.107. num.9. par.9. tom.1. Recent.*, *in Perusina Fideicommissi 25. Novembris 1740. §. Cujus*, *coram Eminentissimo meo Card. Millino*; Neque inter has contrariorum Testium depositiones majus habet pondus declaratio Joannis Grocoviski, cujus opera præfertur impensa anno 1741. in componenda controversia hac inter ipsos Spoliatores, & Præpositum Sancti Joannis: præter enim relatas exceptiones, ac defectum cujuscumque legalitatis, ac recognitionis caractheris, urgent in illius eversionem tum facti circumstantiæ eam in substantia falsam, & comentitiam suadentes; tùm ipsius Joannis jurata declaratio, qua fatetur, nunquam à se talem declarationem editam fuisse: cui declarationi concurrentibus aliis circumstantiis standum esse docet *Post. de Manut. observ.61. num.7.*, *Rota in Recent. decis.158. num.4.*, *& decis.197. in fin. par.3. Recent.*

7 Ad

7 Ad depositionem verò Casimiri, quod attinet, sanè non subsistit, quod anno 1742. Præpositus alterius Ecclesiæ S. Spiritus immissus fuerit vigore judicialis Decreti in possessionem controversæ Villæ Cantryny, dum admissa etiam facti veritate, de cætero legalibus Documentis comprobandi, dicta Immissio verificatur de Bonis, ac Prædiis adjacentibus; de quibus inter partes non est quæstio, dùm Bona per Præpositum S. Spiritus possessa sunt sub diverso vocabulo, aliaque Cœli plaga.

8 Paris irrelevantiæ fuit etiam allata terminorum descriptio, & juxta eam elevata Mappa, quibus probari contendebatur Reos conventos sua occupatione limites propriæ pertinentiæ non excessisse: Descriptio enim isthæc, & cum ea elevata Mappa ad placitum partis, & juxta illius instructionem remotis arbitris nuper composita comperitur, quæ cum nec appareat per Peritos in faciem loci collationata nullum probationis gradum constituit, *Rota decis.220. num.32. par.19. Recent. tom.1.*, *& decis.166. num.4. coram Molines*.

9 Quæ verò à Spoliatoribus allata sunt vel super Villæ, ejusque Bonorum pertinentiam, vel super limitibus, eorumque extensione, meritò in hoc Judicio despexerunt Domini, dùm agitur hìc de reintegranda possessione penès Ecclesiam, ab ea audaci violentia, qua manu armata fuit dejecta, quod debet pleniùs exequi, antequam Spoliator de titulo certans super suis Juribus audiatur; ad *Text. in Leg. final. Cod. Si per vim, vel alio modo*, *Rota coram Buratt. decis.133. num.2.*, *in Mantiss. ad de Luc. decis.8. num.13. lib.4. tom.1.*; *in Melevitana Manutentionis 7. Julii 1734. §. fin. coram Haracch.*, *& inter nuper impressas coram Eminentissimo meo Tanario decis.58. num.5.*

Et ita &c. unica &c.

ROMÆ, MDCCXLIX.
Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Superiorum permissu.

Druki ryskie
dotyczące dziejów
rosyjskich województw polskich

20.000